



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VII. Quo anno, ac die Salvator noster cruci suffixus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)

CAPUT VII.

Quo anno, ac die Salvator noſter cruci ſuffixus ſit.

SUMMARIUM.

1. Præliminaria ad propoſitionem.
2. Prima propoſitio multipliciter probatur.

3. & 4. Secunda propoſitio ſtabilitur.
5. & ſeqq. Objectiones ſolvuntur.

I.
Status quæ-
ſtionis.

AMPLISSIMAM, graviffimamque de tempore Dominicæ paſſionis quæſtionem aggredimur, ex præmiſſis tamen diſſertationibus noſtris perſpicue, ut opinamur, definiendam. Facta enim hypotheſi, quod Chriſtus à baptiſmate tribus annis, menſibusque nonnullis vitam ad paſſionem uſque protraxerit, undis autem Jordanis tinctus fuerit Coſſ. Cornelio Lentulo Getulico, & C. Calviſio Sabino, id eſt, anno vulgari, juxta communioſiorem ſupputationem, xxvi. conſequitur apertiſſime crucis patibulum ſubiſſe, Coſſ. Rubellio Gemino, & C. Ruſio Gemino, hoc eſt, V. Ae. anno xxix. Neque falſa reputanda eſt hæc ſententia, quod eam repudient Chronologorum recentiorum innumeri, atque ii omnes, qui vel fictitium cenſent Proconſulare imperium Tiberii, vel poſteriorius, ac nos ſtatuiſimus, Domini natale conſignant, & quos in figendis ſuperioribus Epochis laudaviſimus: cum ad ſtipulantur nobis Eccleſiæ Patres antiquiſſimi, ac præclariffimi, necnon ex accuratis Chronologis Antonius Capellus in libro de Chriſti Cœna ſuprema, Godefridus Henſchenius in App. ad Chronol. Pontif. Exercit. I. Norſius in Cenotaph. Piſ. diſſert. 2. Tom. III. pag. 515. Antonius Pagius ad an. xxx. num. 3. & ſeq. Em. Scheleſtratenus diſſert. I. cap. 4. Graveſonius de Myſt. & annis Chriſti diſſert. 15. eximius Blanchinus in Prolegom. ad Anaſt. Tom. II. pag. x. & in Chron. Conſulari pag. clxx. ac ne ſingulos commemorem, cum aliis Aſcatholicis junioribus Joannes Clericus in Harmonia, & in Hiſtoria priorum Sæculorum ad annum Ch. xxix. Imo non deſunt, qui Patrum auctoritate coacti conſignent paſſionem Domini in conſulatu duorum Geminorum, quamquam illam biennio tantum ante vulgarem Aeram natum exiſtimant, anno ſcilicet U. C. 752. Coſſ. C. Octav. Auguſto xiiii. & M. Plautio Silvano, aut anno præced. 751. Coſſ. Cn. Cornelio Lentulo, & Valerio Meſſala: quam ſententiam propugnavit olim Jo. Gerardus Voſſius diſſert. 2. de annis Chriſti num. III. ac nuper Honoratus à S. Maria Tom. III. R. P. Berti Theol. Tom. V.

pag. édit. Venetæ 32. Sed cum juxta Voſſium Conſulatus Geminorum concurrat in annum ætatis Chriſti xxxi. juxta Honoratum vero in xxx. neque ad tam exiguum tempus coarctari poſſit Domini prædicatio; ac præterea male hi de obitu Herodis, & de anno Chriſti natali ratiocinentur, prout liquido percipiet, qui præmiſſas lucubrationes noſtras pervolutarit: nequeunt hi duo viam nobis ſternere, quam inoffenſo pede, & absque difficultate ingrediamur. Id vero iis, quibus chronologia arridet noſtra, erit tanquam certiffimum præſupponendum. In Chronologia autem præſtantiffimi viri Franciſci Blanchini ad præcedentem annum Vulg. Ae. 28. conſulatus Geminorum retrahitur, quod non absque prævalidis momentis factum eſt: tamen nos conſulto pervulgatas, probatasque Norſio, Pagio, aliisque Faſtorum Tabulas ſecuti ſumus, ne qui his utuntur, rhombi adinſtar agitentur: atque id pariter prænotamus, ne oſcitantia nos damnet, qui adierit laudatum à nobis egregium ornatiffimumque Scriptorem. At ne prologio quempiam exanimemus, accedendum ad theorema.

PROPOSITIO I. Chriſtus crucem ſubiit anno U. C. 782. Coſſ. Rubellio Gemini-
no, & C. Ruſio Gemino, ætatis ſuæ anno xxxiiii, imperii Auguſtei Tiberii Cæſaris xv. imperii autem Proconſularis xviii. anno I. Olimpiadis cccii. Aeræ Vulg. xxix. Correc. Jul. 74. Periodi Julianæ 4742.

Ac primum demonſtratur ex præmiſſis Chronologicis theſibus. Chriſtum enim, aſſentientibus iſdem recentioribus, qui mortem Domini protrahunt ad annum Ae. V. xxxiiii. ætatis ſuæ xxxvii. & U. C. 786. natus eſt an. U. C. 749. anno 4. Olymp. exciii. Fatentur iſdem Recentiores, & præcedenti cap. demonſtratum eſt, poſt ſuſceptum baptiſmum Dominum Jeſum quatuor Paſchata celebraviſſe: baptiſmate autem tinctum anno triceſimo ætatis ſuæ, Evangelica hiſtoria, Patres, & recta chronotaxis

X x

evin-

evincunt; quidquid moliantur adversarii, ut arenoso fundamento suam de morte Christi sententiam superstruere nitantur. Quid ergo? Addantur anno U. C. 749. anni xxx. compertum erit Dominum baptizatum anno U. 779. huic anno adjiciantur quatuor Paschata, ac tres anni Dominicæ prædicationis; inveniemus Jesum suffixum cruci an. U. C. 782. duobus Geminis consulibus, II. Prædixit Daniel occidendum Christum in medio hebdomadæ LXX. id est, anno ab hebdomadam exordio 486. Incipiunt autem hebdomadæ Danielis anno ante Ae. V. 457. & v. 11. Artax. Longimani, ut diximus lib. xxv. cap. 5. At si anno quadringentesimo quinquagesimo septimo ante Christianam Aeram addantur anni ejusdem æræ xxix. resultabunt anni 486. Idem ergo annus Aeræ communis xxix. est dimidium hebdomadæ LXX. in qua juxta Danielis vaticinium delenda erat iniquitas, Christo suorum livore in crucem sublato. III. Apertissimus character ad annum passionis Christi investigandum est Eclipsis illa percelebris, quam recensent Marthi, xxvii. 45. Marcus xv. 33. & Lucas xxiii. 44. De hac mentionem fecisse Phlegontem Hadriani Augusti libertum, eximiumque Chronologum scribunt Tertullianus in Apologetico adversus Gentes cap. 21. Origenes lib. 2. contra Celsum, Julius Africanus, qui floruit Heliogabali tempore, apud Georgium Syncellum pag. edit. Regiæ 322. Eusebius in Chronico ad annum Tib. xviii. Orosius lib. vii. Hist. cap. 4. Nec de alia solis defectio- ne potest Phlegon explicari, cum scribat illam fuisse magnam, & excellentem inter omnes, quæ antea acciderant, evenisse autem hora sexta diei: quæ omnia tenebris moriente Auctore ac Redemptore nostro factis super universam terram, conveniunt quammaxime. Verum hinc inferunt passum Dominum anno vulg. Aeræ xxxiiii. Usserius ad annum Per. Jul. 4746. Natalis Alex. dissert. 11. 1. sæc. q. 3. Possinus Epist. 1. ad Papebrochium, num. 13. & qui vel Usserianam Chronologiam sectantes putant passum Christum anno ætatis suæ xxxviii. vel hærentes adhuc Eusebianæ ad annum xviii. Augustalem Tiberii referunt tricesimum tertium ætatis Christi: plauduntque sibi plurimum, quoniam apud Eusebium citato loco Phlegon scribit contigisse memoratam Eclipsim quarto anno Olympiadis 202. qui incidit in annum vulgarem tertium, ac tricesimum; si Olympiades, quæ à solstitio æstatis du-

cunt initium, cum anno seculari supputentur. At Africanus, ex quo hæc exscripserat Eusebius, ait præcitatam eclipsim à Phlegonte commemoratam incidisse in annum Tiberii decimum sextum, & in annum 2. Olympiadis 202, non solum apud Syncellum pag. 323. verum etiam apud Eusebium lib. viii. Dem. Evangelicæ pag. 558. edit. Basileensis, & apud Hieronymum in cap. ix. Dan. Tom. iii. pag. 1111. hoc tantum excepto, quod Hieronymus non annum Tiberii xvi. ponit, sed xv. nulla, ut liquet, contradictione, si anni Tiberii supputentur cum anno seculari, non à sextili mense, & ab obitu Augusti. Igitur anno 2. Olymp. cccii. ex Africano, Eusebio, & Hieronymo Phlegon horrendam illam, ac mirabilem eclipsim consignavit; quamvis Eusebius in Chronico chronotaxi insistens suæ scripserit Olympiadis 202. annum quartum. Adde modo Africanum antevertere communes Olympiades biennii, easque auspiciari ab anno periodi Græco-Romanæ 4716. licet Olympias communis incœperit anno ejusdem periodi 4718. ut inquit Schellstratus Tom. 1. Antiq. Ecclesiæ pag. 73. demonstratque Pagius ad annum Ch. xxxiii. num. 11. quod non animadvertentes illustres viri, Petavius, & Keplerus putarunt memoratam à Phlegonte eclipsim contigisse anno Christiano xxxi. concurrente cum 2. Olymp. 202. post solstitium æstatis, melius tamen tempora supputantes, quàm faciant rejicientes eclipsim illam in annum iv. Olymp. præcitatæ, imo in annum 1. Olymp. 203. ut observarunt Schellstratenus & Gravefotius. Dele itaque biennium, quo Africanus anticipavit Aeram Olympiadum communem, & meridiana luce perspicuum erit mirabilem illam eclipsim consignandam ex Phlegonte anno vulgari xxix. Quid vero ingeniolum nostrum obruimus calculis arithmetice, dum apud Hieronymum, qui testatur proferre se verba ipsa Africani, legimus annum Tiberii Cæsaris xv. apud Eusebium autem, & Georgium Syncellum annum Tiberii xvi. qui duo anni concurrunt cum anno Aeræ Christianæ xxix.? Hoc itaque anno accidit magna illa defectio lucis, hoc anno naturæ Auctor mortem oppetiit. IV. Traditur expresse sententia nostra à Patribus: unde Alexander Natalis ad propriam opinionem firmandam præmittendum censuit, non posse annum passionis Christi certo colligi ex traditione, ut etiam affirmat Serrius Exercit. 56. falsò tamen, ut dicam infra.

In conſulatu ergo duorum Geminorum paſſum Chriſtum tradit Tertullianus lib. adverſus Judeos cap. 8. ſcribens: *Quæ paſſio hujus exterminii intra tempora lxx. hebdomadarum perfectu eſt ſub Tiberio Caſare Coſſ. Rubellio Geminio, & Ruſio Geminio, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die v. i. i. Calendarum Aprilium, die prima Azyrnorum, qua Agnum ut occiderent ad veſperam à Moſe fuerat præceptum.* Eodem capite inquit Tertullianus: *Hujus (Tiberii ſcilicet) quintodecimo anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi xxx. cum pateretur: ubi Hieronymus Tom. III. pag. 1116. legit, annos habens quaſi triginta tres: quod conſentaneum eſt iis, quæ ſcribit Tertullianus in 1. adverſus Marcionem, Chriſtum anno xii. Tiberii Caſ. revelatum.* Tertullianus ergo triplicem nobis notam ad tempus paſſionis dominicæ investigandum ſuppeditat, annum ætatis Chriſti xxxiii. annum principatus Tiberii xv. & Conſulatum Gemini, & Gemini; omnesque hi characteres quadrant in annum vulgarem xxix. Lactantius Firmianus lib. iv. Inſtit. Cap. 10. ait: *Sub imperio Tiberii Caſaris anno quintodecimo, id eſt, duobus Geminis Coſſ. ante diem ſeptimam Calendarum Aprilium Judei Chriſtum cruci affixerunt.* Habent nonnulli Codices, *ante diem decimum:* ſed ante ſeptimam effert, quo utimur, pag. 115. atque ita legendum hoc in loco, & in libro de mortibus Perſecutorum, conſentiunt Betulejus, Blanchinus, & alii: utroque autem loco ſignari mortem Chriſti in conſulatu Geminorum, nemo unus inſiciabitur. Auguſtinus quoque lib. xviii. de Civit. Dei cap. 54. hæc habet: *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Coſſ. octavo Kalendas Aprilis.* Viſtorius etiam Aquitanus in Chronico Paſchali ſcripto anno Domini 457. inquit: *Ex tempore Dominicæ Paſſionis diebus Kalendarum Januariatum, & nominibus Conſulum, à duobus Geminis Ruſo ſcilicet, & Rubellio, uſque ad Conſulatum Conſtantini, & Ruſi, diligenti annotatione collectis, per cccc. & xxx. annos cum lunis, atque temporibus, &c.* Ubi præter expreſſum conſulatum duorum Geminorum, notanda eſt ſumma annorum 430. à Domini paſſione ad conſulatum Conſtantini & Ruſi, id eſt, ad annum Chriſti 457. à quo arithmetica numeratione comprehenſo, ſi retrocedas per annos 430. pervenies ad annum communis Aerae xxix. Extat in eodem Viſtorii canone inobſervata hætenus nota: in vetuſtiſſimo enim MS. S. R. P. Berti Theol. Tom. V.

Andræ de Valle legitur: *Anno à paſſione Domini cccxi. Lupicino, & Jovino Coſſ. Gratianus Imperator factus eſt:* quod vir doctiſſimus Lucas Holſtenius propria manu ſignavit ad pag. 48. Bucheriani Codicis Angelicæ Bibliothecæ. Conſtat vero Gratianum à prædictum Auguſtum Ambianis ix. Kal. Septemb. anno vulgari 367. à quo præriter connumerato ſi retrahamur per annos 340. ſilendum erit in anno V. A. c. xxix. Quid ergo requiritur maniſeſtius, ut eodem anno conſignemus Dominicæ Paſſionis Epocham? V. Alii quoque Patres, quos nobis Natalis Alex. opponit, ut evincat traditionem, hæc in re non eſſe attendendam, ſinguli ex novæ Chronologiæ principiis ſententiam confirmant noſtram. *Anno quintodecimo Tiberii paſſum Dominum ſcribunt Clem. Alex. Tertullianus, Gaudentius, aliique ſuperius laudati.* Annum quintumdecimum Tiberii adverſantes nobis Chronologi non agnoſcunt, niſi imperii Auguſtei. Ille vero xv. annus nonne concurret, ante diem 19. Auguſti, cum anno vulgari Dionyſiano xxix. Hi ergo Patres, quantum ad annum Paſſionis attinet, nobiſcum conſentiunt, quamvis univerſam Chriſti vitam triginta annis definiant; quod tamen, ſi de Tertulliano loquamur, concedendum non eſt adverſariis. Martyr Ignatius, Chryſoſtomus, Leontius Byzantius, & Ven. Beda Chriſto xxxiii. annos tribuunt. At quando ex Virginali utero Redemptor in lucem prodiit? Haud negant novæ Chronologiæ defenſores natum anno U. C. 749. Designato huic anno addamus, quaſi, annos xxxiii. an non reſultat annus U. 782. quo conſulatum inierunt duo Gemini? Protrahit Irenæus mortem Domini ad annum fere quinquageſimum; at nonne baptizatum ſcribit anno ineunte *tricesimo*, nonne prædicationem ad tres annos coarctat? Tricesimum annum inchoaſſe Dominum anno U. 779. haud negat Natalis: de tempore peracti miniſteriſque funem contentionis non ducit. Cur ergo nobis Irenæum objectat? Eusebius ipſe, qui omnium primus ad annum Tiberii xviii. & juxta correctionem Scaligeri xix. protaxit Domini crucifixionem, ſcite animadvertens baptizatum Chriſtum anno Tiberii xv. & vitam egiſſe annis xxxiii. ſi locaſſet natalem Chriſti in anno U. C. 749. uti locandum annuunt adverſarii, nonne affirmaret baptizatum Dominum anno xv. imperii Proconſularis, qui eſt annus Chriſti *tricesimus*, & in

crucem actum anno Ae. V. xxix. qui est vitæ Christi xxxiii. Sententia ergo nostra omnium Patrum traditione fulcitur, & quamquam illi ætatem Domini recenses in diversam abeant opinionem, nullus eorum undequaque nobis opponitur. Inquiunt passum Jesum anno xv. Tiberii Cæsaris? His nos assentimur. Annis tribus à suscepto baptismo? Iis adhaeremus. Anno tricesimo tertio ætatis suæ? Horum sententiam propugnamus. VI. Quoniam Eusebium nuper commemoravi, is sub finem libri i. H. Ec. loquens de Taddæo ad Edeffenos profecto, *Acta*, inquit, *sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo*: ita enim restituit Valesius ex vetustissimis exemplaribus, nec aliter habet interpretatio Rufini nuper ab erudito Viro castigata ad Codices Vaticanos. Idemmet Eusebius ad annum i. Olymp. 117. inquit: *Ab hoc loco Edeffeni sua tempora computant*; quod diximus supra demonstratum à Valesio, ac Norisio. Atqui ab anno i. Olymp. 117. dinumeratis annis cccxl. pervenitur ad annum i. Olymp. 202. Igitur anno i. Olymp. ccii. peracta à Domino redemptione, Taddæus, si Eusebium recipiamus, adiit Edeffam. Facilius idem comprobatur: Annus primus Olymp. 117. est annus U. C. 742. Adde annos Epochæ Edeffensæ, sive aeræ Seleucidarum, 340. & consurget annus Urbis 782. ex ipsa Eusebii Pamphili chronologia. VII. A passione Christi ad expugnatas à Tito Jerosolymas fluxerunt anni 42. Clemens Alexandrinus lib. i. Strom. pag. 340. ait: *Ex quo verò passus est ad excidium Jerosolymæ sunt anni 42.* Origenes lib. 4. adversus Celsum: *Quadragesima enim duos annos puto ex quo crucifixerunt Jesum fuisse ad Jerosolymæ eversionem*: & S. Hieronymus in cap. i. Sophoniæ Tom. i. pag. 1656. *Post quadragesima & duos annos Dominiæ crucis circumdata est ab exercitu Jerusalem.* Quo præcise anno id evenit, scribit Josephus lib. vi. de Bello cap. 10. aliàs 18. *Ita quidem capta est Hierosolyma secundo anno principatus Vespasiani, Gorpizi (Septembris) mensis die octava.* Vespasianus renuntiatus est Imperator anno Ae. V. 69. Kal. Julii. Ab anno itaque communis Aeræ 70. Vespasiani secundo, anni 42. retroflexi incidant necessum est in annum Christianum xxix. ob crucem, mortemque Domini celeberrimum. VIII. Accedunt in sententiæ nostræ confirmationem veterum Historicorum, & Chronologorum notæ. Ac Severus quidem Sulpitius lib. 2. Historiarum ait, *A tempo-*

re crucifixi Domini usque ad Stiliconem sunt anni 372. Incidit vero consulatus Stiliconis in annum V. Ae. quadringentesimum, à quo detractis annis 372. residui erunt anni 28. post annum vero xxviii. duo Gemini Consules prodire. In libro Julii Hilarionis de Hebdomadibus Danielis apud Schellstratum p. 103. enumerantur à Consulatu Luculli anni 179. usque ad mortem Christi, & à morte Christi ad Consulatum Cæsarii & Attici anni 369. Consulatum gessit Lucullus anno U. 603. si addas annos 179. resultabit annus U. C. 782. In eodem anno sistendum erit, si à Consulatu Cæsarii & Attici, inito anno Christi 397. ab Urbe condita 1151. per annos 369. retroagamus. Joannes Cuspinianus Comment in Consules Cassiodori profert indiculum quemdam vetustissimum, in quo legitur: GEMINO. ET. GEMINO. HIS. COSS. CHRISTUS. PASSUS. EST. additque perantiquum Catalogum Pontif. quod incipit: *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus Jesus Christus duobus Geminis Coss. viii. Kal. Aprilis.* Idem habetur in fastis Anonymi editis à Norisio ad calcem Operis de Epochis Syro-Macedonum. Haud aliter exhibent Fasti Idatiani editi à viro Clarissimo Jacobo Sirmondo. In Auctario denique Chronici Prosperi apud Labbeum Tom. i. Biblioth. MS. legitur: *Utitior traditio habet D. N. decimo quinto anno Tiberii Cæsaris duobus Geminis Coss. crucifixum.* Plura addi possent; sed quis productis hactenus momenti non acquiescet?

PROPOSITIO II. Christus crucifixus est viii. Kal. Aprilis.

Id primo demonstratur Patrum traditione, Tertulliani, Lactantii, & Augustini, quorum verba producta sunt paulo supra. S. Pater idem repetit in iv. de Trinitate cap. 5. num. 9. scribens: *Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus*: eademque repetit lib. lxxxiii. Quest. q. 56. Accedit Canon Paschalis Sancti Martyris Hippolyti Portuensis ab anno D. 222. marmoreæ tabulæ incisus, & in agro Verano repertus anno 1551. in quo legitur: H. KAL. ANPEI TIAΘOZ XC. viii. Kal. Aprilis passio Christi. Servatur etiam nummum cum Hippolyti statua in Vaticana Bibliotheca: neque in tam vetusto & insigni monumento possumus vel traditionis novitatem suspicari, vel inscitiam Scriptoris, vel literarum depravationem. Idē tradere Ecclesiæ Magistros alios scribit Beda de rat. temp. cap.

3.
Propositio 2.
Demonstratur.

cap. 28. & 45. Confirmatur deinde propositio vetuſtiſſimis Martyrologiis. Vingt MSS. in celebrioribus Europæ Bibliothecis ſe legiſſe affirmat Henſchenius, omniaque conſignare paſſionem Domini VII. Kal. Aprilis. Inſigniora ſunt Anglo-Britannicum annorum mille, alterum ad uſum olim Regiæ Sueciæ exaratum ante annos 890. Conſimile Bibliothecæ Barberiniæ, Leodiſenſe, Corbejenſe, ac Bruſſellenſe, quæ vide Tom. III. Martii Act. SS. Bollandi p. 540. in Propylæo Baertii, & Ianningi, in Martyrologio Florentini p. 396. & apud Schellſr. diſſert. I. cap. 4. Conſentiunt ex editis Martyrologia Adoniſ, Uſuardi, Hieronymiana, & quod anno 1487. editum eſt Papiæ ad vetuſta monumenta emendatum ab inſtituti noſtri præclaro viro Bartholomæo de Palatiolo: cujus (ſicut etiam Bellini inter Theologos noſtrates eximii, & cujus Martyrologium laudant plurimum etiam Scriptores Galli, præſertim Launojus diſ. de commentitiis Lazari in Provinciâ appulſu, atque illud commendat parte 2. lib. IV. de Canoniz. SS. pag. 137. erudiſſimus Auctor Proſper Cardinalis de Lambertinis, nunc BENEDICTUS XIV.) æquiſſimum eſt, nos hoc loco mentionem facere. Præterea comprobant ſententiam, quam propugnamus, Kalendaria antiſſima, Palatinum, Beneventanum, Atrebatenſe, de quibus legendus pag. 69. tom. I. Antiq. Eccleſiæ Cl. Em. à Schellſtrate. Prætermittendus non eſt Catalogus Romanorum Pontificum quem tranſtulit, ut diximus, in Faſtos ſuos Jo. Cuſpinianus, & de quo vide Bucherium pag. 269. & Volumen 2. Anaſtaſii Biblioth. pag. VII. Corroborat hanc opinionem, quod ex ſententia Patrum diximus lib. XI. cap. 6. eadem die hominem fuiſſe conditum, ac redemptum, nec aliam eſſe diem illam præter XXV. Martii, ut legitur etiam in antiquo Carmine citato Tom. III. Sancti. ejusdem menſis pag. 541.

*Salve feſta dies, quæ vulnera noſtra
coerces:*

*Angelus eſt miſſus, eſt Chriſtus in
cruce paſſus:*

*Eſt Adam factus, & eodem tempore
lapſus.*

4. Cum inſuper ab hac communi ſententia tertio decimo Eccleſiæ ſæculo receſſiſſet Rogerus Bachonus, aſſerens Chriſtum mortuum die 3. Aprilis, anno Ae. V. XXXI. ductus calculis Aſtronicis, reſectus eſt ab omnibus, ac ſuſpectus de errore habitus eſt, ut ex Wa-

dingo refert ad annum 32. num. VIII. Antonius Pagius. Turbas excitaviſſe plurimas etiam Toſtatum, dum ſedente Eugenio IV. Senis eandem Bachoni ſententiam inſtaurare conaretur, affirmat ibidem Pagius. Damnatam Toſtati aſſertionem nos quidem minime affirmamus, quamvis id aliqui conſecerint ex quodam MS. Cardinalis à Turrecremata, de quo MS. legendus Salmeron Tractatu Prolegomeno XXXVIII. Imo ſatemur ab eo tempore ob editam à Toſtato apologiam, probatamque calculis Aſtronomorum, in eandem ſententiam complures deſcendiſſe. Sed iſtinc tamen inferimus, opinionem nobis contrariam fuiſſe incomperatam veteribus, malè apud fideles audiſſe, nec alio fulciri fundamento, quàm Aſtronomorum paulo poſt diſcutiendis obſervationibus. Tandem ſententia noſtra firmatur inſigni miraculo, & non ſemel Notariorum judiciariis actibus explorato, quod refert Pompejus Sarnelli Episcopus Vigiliensis Tom. III. Epist. Eccl. ep. 33. In urbe enim Andria ſervatur una ex Spinis coronæ Domini, nonnullis pretioſi Sanguinis conſperſa guttis, quæ dum concurrit Paraſceve, ac dies Paſſionis Dominicæ cum VIII. Kalendas Aprilis, conſpicientibus omnibus diſfluunt, totamque ſpinam cruentant: idque etiam thecæ hiſce verſibus inſculptum legitur:

*En cuſpis de tot majoribus una Co-
ronæ,*

*Qua diræ pupugere manus pia tem-
pora JESU*

*Quando Paraſceve, & Martii vige-
ſima quinta*

*Concurrunt, veluti majores ore pro-
barunt,*

*Tunc hæc (ob quam mirum!) tota
cruenta videtur,*

*Quæ ſolet eſſe aliàs guttis aſperſa
quibusdam.*

Traditione ergo, ac tam mirabili ſigno tenendum eſt, non alia die paſſum Dominum, quàm viceſima quinta Martii.

BREVIS OBJECTORUM DISCUSSIO.

Quidquid opponunt adverſarii, nihil difficile tinnit, quod non ſit jam explo-
ſum præcedentibus theorematibus, uno
excepto argumento deprompto ex tabu-
lis Aſtronicis, ſive ex Bachono, To-
ſtato, & Paulo Burgenſi, ex quorum fon-
tibus, ut inquit Gerardus Voſſius in diſ-
ſert. de temp. dom. paſſionis num. 8,
juniores contententes paſſum Chriſtum

XX 3

anno

anno Aerae V. xxxiii. & die 3. Aprilis, hortos suos irrigarunt: quare summatim argumentationes ceteras prosequar, istam vero paululum accuratius. Opponunt itaque 1. nihil hac in re deferendum Patribus, quorum de aetate Christi sententia tam varia est, & perplexa. II. Augustinus in libro de Civit. Dei xviii. cap. 54. ait annum à Passione Domini 365. expletum fuisse idibus Maji, Honorio, & Eutychiano Coss. id est, anno Ae. V. 398. quo ex numero si subtrahantur anni 365. residui erunt anni V. Ae. 33. III. Crucifixus est Christus in medio hebdomadis lxx. juxta Danielis oraculum, anno scilicet ab hebdomadarum exordio 487. Hebdomadae autem Danielis initium ducunt ab anno xx. Artaxerxis Longimani, ante Ae. V. 454. Ut ergo coalescat numerus annorum 487. adjiciendi erunt anni 33. aerae Dionysianae. IV. Defectio lucis ad tres horas protracta, quae temporis Dominicae Passionis character est singularis, ex Phlegonte contigit Olympiadis 202. anno quarto: eoque tempore solare hoc deliquium praeter naturae ordinem etiam Sinas in monumentis rerum suarum annotasse imperante Quamvutio, inquit in Historia Sinensium Hadrianus Gressonius, & Huertius in demonst. Evang. prop. 111. num. 8. V. Litterae, quibus Pilatus à Senatu petiit Christi apotheosim, quas nos pag. 68. vindicavimus, conscriptae dicuntur in Chronico Eusebiano anno U. C. 788. Ae. V. xxxv. ideoque paulo ante Dominus cruci fuerat affixus. VI. Petrus Apostolorum princeps martyrio coronatus est anno 34. post Christi mortem, Ae. V. 67. Ab anno autem 67. demptis annis 34. consurget annus passionis Domini, communisque aerae tertius ac tricesimus.

6.
Responsa.

Dixi in his nihil offendi difficultatis. Ad primum enim ex dictis constat omnes Patres aliquod sententiae nostrae fulcimentum nobis suppeditare, sive asserant passum Christum anno Tiberii Caesaris xv. sive consulatum Geminorum producant, sive designent annum suscepti baptismatis, ac tempus Dominicae praedicationis, ipsumque Eusebium nobis consentire, dum affirmat Christum baptismo tinctum anno tricesimo, dum ait praedicasse tribus saltem annis, dum aera commemorat Edeffensorum. Perperam ergo quidam discrepantes Patres nobis objiciunt; & una cum horum traditione, sacrosanctum Evangelium expresse designans tempus Dominici baptismatis, unde haec thesis fuit perspicua consecutio-

ne, inaudito olim, & commenticio sensu detorquent. Ad 2. dicimus Augustinum eo loci affirmare passum Christum Coss. duobus Geminis: quomodo ergo credidit mortuum Sulpitio Galba, & Cornelio Sulla Consulibus? Ait affixum cruci v. 111. Kal. Aprilis: quomodo Aprilis die tertia? At dinumerat, inquit, ad Consulatum Honorii & Eutychiani annos à Christi morte 365. Percepistine mentem Augustini? Jactabant Pagani Christianam religionem nonnisi annis 365. duraturam. Stultissimum Pagano- rum mendacium S. P. hoc validissimo ratiocinio redarguit: Non eversa est Honorio Consule Religio Christiana: quin potius Carthagine Gaudentius & Jovius comites Imperatoris Honorii quartodecimo Kal. Aprilis falsorum Deorum templa everterunt, & simulacra fregerunt: & tamen superiori anno Coss. Eutychiano & Honorio, trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti. Firmissimum est Augustini argumentum, tametsi à morte Christi praeterissent anni 388. Connumeravit tamen 365. quia Pagani hunc terminum Christianae religioni statuebant; aut si forte quidam alio anno mortem Domini consignarent, adhuc ratiocinatio in suo robore permaneret. At argumentum tertium, supputantibus nobis Danielis hebdomades ab anno vii. Artaxerxis, ante Ae. Vulg. 457. nihil est aliud, quam cantilena, verborumque jactatio. Quarto satisfactum iri confidimus iis, quae produximus in 1. propositione num. 3. nam quae afferuntur ex Sinensium historia, Gressonius Chronologiae aptavit suae; nec memorandum solis deliquium, quo vehementer Quamvutius Sinarum imperator dicitur fuisse commotus, consignavit anno Ae. V. xxxiii. sed xxxii. in quo plenilunium Nilan contigit feria prima, die 13. Aprilis, aut feria 2. die 14. ideoque adversarii nostri Astronomicis calculis decertantes nequeunt ad Sinensium annalium monumenta confugere. Ad 5. dicimus, si recipiantur Acta Pilati, iis quoque assertum nostrum stabiliri: quippe in iis narratur, Sejanum praefectum Tiberii suscipiendae Christianae religioni pervicaciter obstitisse. Videatur Orosius l. 7. cap. 4. At Sejanus à Tiberio interfectus est, Memmio Regulo Consule, ex Dione lib. 58. pag. 628. id est, anno vulgari 31. haud repugnantibus Tacito lib. v. Annal. & Suetonio in Tiberio cap. 65. ubi narrant contigisse Sejanum necem in v. Consulatu Tiberii, hoc est, anno U. 784. vulg. aera 31. ex quibus patet castigandum errorem eorum, qui vel referunt eadem Sejani

Sejani cum Eusebio an. Ae. V. xxxv. vel consulatum Memmii Reguli suffecti Fulcino Trio, dum Tiberius anno U. C. 784. consulatum v. agebat, deorsum tradunt. Ad 6. ad hunc respondeo modum. Tradunt Patres, praesertim Hieronymus de Script. Eccles. Petrum sub Nerone martyrio coronatum anno 37. post Christi passionem: quo Neronis anno, gravis est controversia. Ultimam ponit Hieronymus; Epiphanius haeresi xxvi. 6. duodecimum. Hinc in partes abeunt Historici, quibusdam referentibus Apostolorum Martyrium ad annum Ae. V. 65. aliis ad annum 66. aliis ad 67. nonnullis quoque ad 69. Non vacat in praesentia controversiam istam dirimere. Subscribamus interim Pagio Tom. 1. pag. 51. referenti Martyrium Apostolorum ad annum Ae. V. 65. In hunc annum incidit xxxv. 1. à passione Domini, & xli. Neronis, si eadem passio statuatur anno aera V. xxi. Quod etiam salvatur, si dicas Petrum occubuisse proximo anno 66. & annis 37. post Christi passionem prorsus exactis, & si imperium Neronis auspiceris à die 13. Octobris anni Vulg. Ae. 54. atque ut inquit Lactantius in libro de mortibus Persecut. anno à morte Christi xxv. Omnia itaque argumenta haecenus producta non quatiunt sententiam nostram, sed recentiori munimento suffulciunt.

7.
Obijciunt ul-
terius.

Verum discutiendum est perdifficile argumentum, quod sequitur: In die crucifixionis Dominicae duo concurrere debent, Parasceve sabbati, sive feria vi. qua necatum Christum patet ex Joannis xix. 31. & plenilunium mensis Nisan incidens in eandem feriam sextam, cum feria quinta praecedenti ad vespeream, primo Azymorum die Christus cum Apostolis paschalem agnum comederit, quattodecima die mensis juxta praescriptum legis, Levit. xxi. 1. 5. At haec notae in nullum quadrant annum, nisi in Ae. V. xxxi. 1. & Christi 37. Tiberii xix. Enimvero juxta emendatissimas tabulas Astronomicas, anno V. Ae. 31. luna 15. mensis Nisan incidit in diem 26. Martii fer. 2. Anno proximo 32. in diem 13. Aprilis feria 1. vel in diem 14. feria 2. Anno 34. in diem 23. Martii feria 3. Anno duntaxat 33. incidit plenilunium in diem 3. Aprilis, sextam feriam, & sabbati Parasceven; ideoque hoc anno ac die consignari debet Passio Salvatoris. Ita Natalis Alex. Tom. 3. pag. 81.

8.
Respondetur 1.

Huic verò argumento tres adhibemus responsiones, propositam spem habentes quod ad harum unam, vel alteram ad-

versarii obmutescant, aut fateantur saltem non esse sententiam nostram adeo infirmam, quae non valeat oppositae contraniti. Ac responsio prior est ingenua incertitiae nostrae confessio, quod nihil prorsus de lunae phaebus, & Astronomicis regulis edocti simus. Legimus tamen apud eos, qui in hoc studiorum genere plurimum fuerunt exercitati, minime esse idoneos Astronomorum calculos ad vetusta Judaeorum Paschata investiganda, sive hi exacto cyclo non uterentur, sive ob non satis compertum astrorum motum mathematicae tabulae aliquando sint minus rectae. De hac re legi poterunt in Eclogis Chronologicis Keplerus, Henschenius Exercit. 1. in Catalogum Rom. Pontificum, Petavius animadv. in Epiphan. ad haeresim 1. 1. Pagius ad annum 32. num. 8. & Schellstratius volum. 1. pag. 70. Revera Judaeos anno Passionis Christi ante legitimum diem Paschale epulum celebrasse scribit citato loco S. Epiphan. num. 26. necnon Magnus Constantinus in Epistola ex Nicæna Synodo ad Ecclesias conscripta. Astronomicas tabulas emendatas à Metone primum, deinde à Calippo tradit idem Keplerus. Quas confecerat Ptolomæus princeps Astronomorum, opus fuit tempore Alphonsi Hispanorum Regis ad exactiorem calculum revocare. Alphonsinis subsecutæ sunt Prutenicae exarata à Nicolao Copernico. Et hæc fortassis annorum decursu experientur fata cæterarum: insudant enim & nunc in iis castigandis viri laboris patientissimi. Quantum verò errent, qui Patrum documentis præferunt Astronomicas observationes, demonstrant quæ de Pachomio Aegypto Monacho, & de aqua pro catechumenis baptizandis (quæ dum contra usum Ecclesiae astronomici calculi servarentur, evanuit è sacro fonte) in libro de rat. temp. cap. 41. narrat Beda. Ob eam rem ait Henschenius non videri viri sapientis, propter calculos mathematicos recedere à Patrum sententia. Quod etsi fas esset sapientibus, mihi sane Astronomiae penitus imperito non licet.

Si huic non acquiescas responsioni, de Astronomicis calculis differam aliquantulum; & erit responsio altera. Concedo nullo ex annis in argumento citatis consignandam Christi passionem. Hanc refero ad Consulatum Geminorum, alligatum communi supputatione anno Dionysiano xxix. Nullam de hoc anno litem adversarii intentabunt circa feriam sextam; cum anno prædicto 29. litera Domi-

9.
Respondetur 2.

Dominicali B. signando dies 25. Martii fuerit Sabbati Parasceve: quod & probat argumentum Natalis, nam si anno 31. dies 26. Martii fuit feria 2. omni dubio procul anno 29. dies 25. ejusdem mensis incidit in feriam sextam. De luna tantum remanet inquirendum. Judæi non solum luna 14. mensis Nisan observabant, sed etiam æquinoctium vernum, caventes ne ante ipsum immolarent Pascha, ut probat Petavius Animad. in Epiph. pag. 169. necnon Vossius Tom. vi. pag. 85. testimoniis Anatolii, Agathobuli, Philonis, Epiphani, & Eusebii: quæ brevi-

tatis gratia prætermitto. Illis Herodes Jerosolyma expugnata servandam proposuit *Octaeteridem* Lunarem Romanorum, cum Hieronymus in Chronico scribat servasse illos *secundum Romanos lunarem cursum*. Hanc *Octaeteridem* tibi propono ex Eclogis Chronologicis Samuelis Petiti Tom. VIII. Thef. Antiq. Rom. pag. 386. quoniam perdifficile est ipsam erueri ex tabulis Kepleri ibidem à Petavio productis, & etiam à Vossio permutatis literis, ac numeris sit exscripta. Petitus ergo illam hoc diagrammate delineat.

OCTAETERIS ROMANORUM LUNARIS.

10. Compurus Lunaris Romanorum.	Anni Periodi:	Dies à quo incipiunt.	Lit. Dominicalis.
I.		XVIII. Martii.	C.B.
II. Embol.		VII. Martii.	A.
III.		XXVI. Martii.	G.
IV.		XV. Martii.	F.
V. Embol.		III. Martii.	E. D.
VI.		XXII. Martii.	C.
VII. Embol.		XI. Martii.	B.
VIII.		XXX. Martii.	A.

Expugnata fuit ab Herode Jerosolyma anno U. C. 717. quare Judæi hanc *Octaeteridem* ex eo tempore assumentes in usum, & in Periodo Romano-Judæa anno 1. in 2. *Octaeteridis* commutato, ut servarent æquinoctium Romano more, perverterunt lunares phases, atque hoc pacto constat cur lunam XIV. mensis Nisan è sede sua deturbarent: quod

tradunt cum Epiphanio alii Patres, ab iis, qui hanc *Octaeteridis* regulam non observarunt, inscite, & perperam lacesciti. Demonstrat autem præcitatus clarissimus Mathematicus recepta à Judæis Romana *Octaeteride* necessario servandam fuisse hanc aliam Romano-Judæicam, ne Pascha æquinoctium præcederet.

OCTAETERIS.

11. Compurus Lunaris Romanorum & Judæorum.	Anni Per.	ROMANA. Neomenia.	Anni Per.	JUDAICA. Neomenia.
II. Emb.		VII. Martii.	I.	VI. Aprilis.
III.		XXVI. Martii.	II.	XXVI. Martii.
IV.		XV. Martii.	III. Emb.	XV. Martii.
V. Embol.		III. Martii.	IV.	II. Aprilis.
VI.		XXII. Martii.	V.	XXII. Martii.
VII. Emb.		XI. Martii.	VI. Emb.	XI. Martii.
VIII.		XXX. Martii.	VII.	XXX. Martii.
I.		XVIII. Martii.	VIII. Emb.	XVIII. Martii.

12. Ratio intercalandi Judæorum.

In hac *Octaeteride* diversa intercalandi Judæorum ratio orta est ex prædicta ratione, ne scilicet celebrarent Pascha nondum transacto æquinoctio. Hac *Octaeteride* adhibita ad investigandum Pascha Judaicum anni Dionysiani 2219. id est, diviso 2219. per 8. & addita unitate juxta arithmeticum canonem, ut resultet numerus 30. apparebit Neomeniam mensis Nisan incidisse in diem XI. Martii, & solemnitatem Azymorum, sive lunam XV. in feriam sextam, ac in diem Martii 25. quo pacto omnia, quæ tra-

dunt veteres PP. conciliantur, Judæos scilicet tempore Christi non servasse phases lunares, & Dominum Jesum affixum cruci die Paschatis, in Parasceve sabbati, VIII. Kal. Aprilis, & Coss. duobus Geminis. Cum possimus tam facile omnia conciliare, cur hanc responsonem à viris doctissimis traditam, & à nobis, ni fallimur, dilucide expositam nihili facimus?

Si adhuc calculos arithmeticos urgeas, en tibi responso tertia. Percebras.

13. Respondeatur 3. Arithmetice.

lebris Franciſcus Blanchinus Opuſc. 1v. Tom. 2. Anaſtaſii pag. x. contendit conſulatum Geminorum eſſe retrahendum in annum Vulg. Ae. xxviii. quoniam eclipſis prænuntia mortis Cæſaris Auguſti, de qua Dio Caſſius lib. 56. nequit inveniri niſi in anno Ae. V. xlii. in quo ſi locemus Conſules duos Sextos, neceſſe eſt, ut Gemini prodierint Coſſ. anno biſſextili xxviii. in hoc autem anno, inquit Blanchinus, ibi pag. xli. *rationes lunæ xiv. Paſchalis ita ſunt apertæ, ut qui tabulas hac de re tam veteres, quam recentes concinnarunt, inter ſe non diſſentiant.* Fatentur ſiquidem omnes, lunam Paſchalem incidiſſe eo anno in diem 25. Martii, feriam quintam, qua poſt cœnam Chriſtus in horto inccipit paſ-

ſionem, poſtera die, feriâ ſexta conſummatam in cruce. Sanè Blanchini ſententia eruditifſimo Opere quamprimùm in lucem edendo invictiſſimè confirmatur. Hac ratione petiſſimum ex Aſtronomorum calculis argumentum omnino labalcit: quamvis nobis neceſſarium non videatur ob hoc unum pervertere communes faſtos, & univerſam ætatem Chriſti ex Epochis ſupra firmatis extrudere: quod tamen ſi fiat, nihil erit repugnans Patribus, aliud non commemorantibus ad designandum annum diemque Domini emortualem, quàm annum Tiberii xv. Conſulatum Geminorum, & vii. Kal. Aprilis; quemadmodum & nos hacce Chronologica diatriba propugnaviſſimus.

CAPUT ULTIMUM.

Continet quasdam notas in Dominicæ Paſſionis hiftoriam.

1.
De Chriſti
oratione, &
agonia.

Die itaque Martii quinta ac viceſima, à vespere primo inchoata, poſtquam cum Apoſtoliſ celebravit poſtremum epulum, gratiis de more peractis, trajecit Redemptor torrentem Cedron, contulitque ſe in hortum Gethſemani, ita appellatum, quali *גֵּתְשֶׁמַי*, vallis pinguis, quod ad pedes montis *Olivarum* ſitus eſſet, umbroſo in loco, unde fluentis nomen à קָקַר, *nigrefco*. Ubi eò perventam eſt, Petro & filiis Zebedæi comitantibus, nonnihil ab iſdem progreſſus, in genua concidens ter oravit ad Patrem, & vehementiſſime mortis ſubeundæ ſenſu commotus in vultum procidit; diſſulxitque è corpore ejus ſudor, *sicut gutta ſanguinis decurrentis in terram*, cum illi apparuiſſet *Angelus de cælo confortans eum*, ut legimus Lucæ xxii. 43. 44. Male hunc locum inſtitutum quidam dixerunt, quoniam deſuit olim in exemplaribus quibusdam vetuſtis; male etiam negant aliqui ſudorem Chriſti ſanguine fuiſſe permixtum, putantes Evangeliftam designare ſudorem crasſum, quales eſſe ſolent grumi ſanguinis. Etenim Patres celebriores, & hunc locum agnoſcunt, & illum interpretantur de ſudore ſanguineo. Primum S. Irenæus lib. iii. adverſus hæreſes cap. 32. nunc 22. num. 2. contra denegantes in Chriſto verum corpus, *Nec lacrymaſſet, inquit, ſuper Lazarum, nec ſudaſſet globos ſanguinis.* Præterea Epiphanius in Anchorato num. 31. ut ad literam ex Græco translatus eſt à Maſſuetio in notis ad Iren. pag. 219. *R. P. Berti Theol. Tom. V.*

inquit: *Sed & ploravit. In iis Lucæ exemplaribus, quæ interpolata non fuerunt, legitur: (eoque teſtimonio S. Irenæus in Opere contra hæreſes ad eos reſellendos utitur, qui Chriſtum ſpecie tenus apparuiſſe dicebant; catholici vero timore quodam inducti ſententiam eam ſuſtulerunt, illius neque finem, neque vim maximam intelligentes) Et in agonia conſtitutus ſudaſſit, &c.* Hoc Epiphani loco ex emendatiſſimis codicibus reſtituto, liquet erraſſe Hugonem Grotium, qui in Lucam Tom. 2. p. 441. ait Epiphanium loqui de fletu tantum, de quo Lucæ xix. 41. nec locum apud Irenæum inveniri; necnon conſtat decipi Petavium, qui in Animadv. ad Epiph. pag. 369. indigitat Irenæi lib. i. cap. 17. Ubi nihil de ſanguineo ſudore. Ac præter hanc Irenæi, & Epiphani collationem, Grotius hinc etiam revincitur, quod nullibi legatur è capite xix. Lucæ verſum 41. fuiſſe abraſum, quemadmodum interpolata fuere verba ejusdem Evangeliftæ cap. xxii. 43. 44. Cum ergo Epiphanius & Irenæum laudet, & loquatur de exemplaribus Lucæ, & de loco, qui alicubi pia quorundam inſcitia, ne hinc hæretici opponerent indiguiſſe Chriſtum conſolatione Angelorum, paſſus fuerat depravationem; maniſeſtum eſt S. Epiphanium exiſtimaviſſe textum, de quo diſſerimus, autographum ac genuinum. Hilarius quoque lib. de Trinit. num. 40. pag. 061. ſcribit, *Angelum extitiſſe confortantem eum, quo aſſiſtente orare prolixius caperit, ita ut*
Y y guttis